



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Artemisię erga defunctum Mausolu[m] nimius amor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Magna sunt hæc indissolubilis, inter coniuges, amoris vinculiq; exempla, & utique docentia, viuos non esse ullis illecebris aliorum, aut molestijs domesticis separandos, cum tot sint reperti coniuges, qui nec mortui vellent amorem aliò transferre, immò qui cum morientibus vellent commori, & cum sepultis vnà sepeliri. Et reperta est femina, quæ mariti ipsa sepulchrum vellet esse. Artemisia, ait Gellius, *Mausolum virum amasse fertur, supra omnes amorum fabulas, vltraq; affectionis humana fidem. Mausolus autem fuit, ut M. Tullius ait, Rex terræ Caria; ut quidam Græcarum historiæ scriptores, prouincia Græciæ præfectus, satrapen Græci vocant. is Mausolus ubi fato perfunctus inter lamenta & manus uxoris, funere magnifico sepultus est; Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, uxor ossa cineremq; eius mixta odoribus contusâque in faciem pulueris aquæ indidit, ebibitq;, multâque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. Molim quoque est ingenti impetu operis, conseruandæ mariti memoria sepulchrum illud memoratissimum, dignatûmque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. Monumentum Artemisia quum Dis Manibus Mausoli dicaret, ἀγῶνα, laudibus eius dicendis, facit, ponitq; præmia pecunie, aliarumque rerum bonarum amplissima. ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabilis Theopompus, Theodectes, Naucratus. Sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum ijs certasse memoriam mandauerint. Sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est. Is fuit Isocratis discipulus, extat nunc quoque Theodecti tragœdia, quæ inscribitur, Mausolus: in qua eum magis, quàm in prosâ placuisse Higinus in exemplis refert. Non fuit in his Ethnicis matrimonium sacramentum, tanquam signum efficax gratiæ, fuit tamen tanquam signum indissolubilis Christi cum Ecclesia coniunctionis, atq; insuper tam arcta amoris connexio, ipsa natura docente, ut neque ipsa eam mors potuerit dissoluere; certè saltem ut multi & multæ dissoluere non vellent, quamuis utique, post coniugis obitum, superstes etiamnum posset nouas nuptias celebrare. Nimirum indissolubilitatis istius radix est ius Naturæ, supposita ordinatione Dei, commutandi corporis potestatem non aliter dantis, quàm in perpetuum, hoc est, usq; ad mortem.*

A. Gellius
lib. 10. Noct.
cap. 18.

Cap. fin. de
conditionib.
appositis &
Trid. sess. 24.

X x x

Ad